

## DISPUTATIO V.

### DE CAUSIS IN UNIVÈRSUM

#### SECTIO I.

##### *Notio causae eiusque genera.*

606. *Notio principii ex mente S. Thomae.* — Ut notio causae rite praeformetur, oportet ante omnia, quid nomine *principii* intelligatur, diligenter enucleare. Omnis enim causa principium quoddam est, tametsi non omne principium est causa. Iam age, " hoc nomen *principium*, ait S. Thomas, nihil aliud significat, quam *id, a quo aliquid procedit*. Omne enim a quo aliquid procedit quocumque modo, dicimus esse principium, et e converso. " (*Summa th. 1. p. q. 33. a. 1.*) Quare in hac notione tria veniunt consideranda, nimirum res quae principium vocatur; deinde res quae ab eo procedit; ac denique ordo seu relatio quae propterea existit inter utramque, quaeque ab hoc nomine praecipue significatur. Quoad singula haec diligenter nota.

I. Si consideretur id unde significatio huius nominis, *principii* scilicet, accepta est, certe desumitur a prioritate aliqua, quam res quae principium dicitur habet ad principiatum. Hoc enim modo invenitur in creaturis, unde hoc nomen, sicut et cetera, desumuntur. Id tamen quod proprie significat non est *prioritas* sed *processio* sive *origo*. Quare in divina Trinitate, tametsi *nihil est prius et poste-*

*rius*, ut in Symbolo S. Athanasii fatemur, propter ordinem tamen originis quo personae divinae referuntur invicem; Pater est vere et proprie principium Filii, ac uterque est vere et proprie principium Spiritus Sancti. \* Licet principium, ait S. Thomas, secundum rationem nominis a prioritate sumatur, non tamen imponitur ad significandum prioritatem, sed originem; sicut etiam hoc nomen *lapis* non imponitur ad significandum laesionem pedis, licet ab hoc nomen sumi videatur. Licet ergo Pater non sit prior Filio, est tamen eius principium. " (*Qq. Disp. Pot. q. 10. a. 1. ad 10.*)

II. Res una dicitur ab alia procedere multiplex modo; dicitur quippe linea procedere a puncto, radius a sole, rivus a fonte, et similiter in quibuscumque aliis quocumque modum originis significantibus. Generatim vero processio huiusmodi duplex distinguitur, nimirum *externa* et *interna*. Prior habetur, quando una res nihil accipit ab ea a qua dicitur procedere, sed secundum meram successione[m] loci vel temporis ordinem aliquem extrinsecum habet ex ea vel post eam. Altera vero existit inter eas res, quarum una vere emanat ab alia, quatenus ab ea accipit esse. Haec postrema duplex rursus secundum principia fidei distinguenda est. Altera enim viget, cum res, quae a principio procedit, naturam accipit a natura principii numero saltem distinctam: altera vero, cum id, quod dicitur principium, non naturam a se distinctam, sed suam propriam alteri communicat; quod in sola ineffabili Trinitate divinarum personarum contingit.

III. Res quae vere ab alia, sicut a principio, procedit eo ipso realiter ad ipsam ordinatur. Omnis vero relatio realis postulat distinctionem realem subiecti a termino [559]. Ergo impossibile est, ut una res vere sit principium nisi respectu rei alterius. Confer quae ante diximus [563].

607. *Tria genera principiorum.* — Aristoteles, ut supra innumis [394], tria principiorum genera apte distinxit, h. e. *essendi, fiendi et cognoscendi*. Principia cognoscendi spectantur in ordine logico seu intelligibilitatis, et

de iis supra egimus in 4. Logicae disputatione. Alia vero duo genera principiorum dicuntur in ordine ontologico, prout una res habet ab alia ut *sit* vel ut *fiat*. Quid autem sit *feri*, vere et proprie, sumitur ex communi naturae sensu, quo rem aliquam denominamus *factam* seu *effectam*. Sic porro res vocatur quae in sua essentia non habet rationem sufficientem cur sit, ac propterea de non esse transit ad esse ex influentia principii exterioris. Quocirca *feri* seu *effectio* rei nihil est aliud, quam procedentia ipsa, qua res sibi insufficientis ad existendum de non esse transit ad esse. Quod si ulterius quaeratur, num aliqua res possit respectu alterius se habere ut principium uno modo, seu *in essendo*, quin sit principium *in fiendo* ac viceversa; respondendum est affirmative quantum ad utrumque. Sic privatio est principium fiendi respectu rei quae mutatione efficitur, sed non essendi: contra, essentia est principium essendi respectu rei, quae creatione efficitur, sed non fiendi, ut proprio loco declarabitur.

608. **Quale principium dicatur causa.** — Devenientes nunc ad propriam causae notionem, patet imprimis, eam minime accenseri debere iis principiis quae nullam internam connexionem habent cum re respectu cuius principia dicuntur. Sic, aurora est quidem principium diei sed non causa, et similiter punctum respectu lineae, ac privatio respectu generationis. Praeterea, causa habet relationem ad effectum seu *rem factam*. Ergo id quod causam habet, necesse est ut influxu suae causae a non esse transeat ad esse, ut paulo ante notavimus, ac propterea esse habet a sua causa dependens. Atqui id est impossibile, si causa et effectus, prout huiusmodi, eandem numero naturam haberent. Ergo ad rationem causae requiritur, ut naturam habeat a natura sui effectus numero saltem distinctam. \* Hoc nomen *causae*, ait S. Thomas, videtur importare diversitatem substantiae, et dependentiam alicuius ab altero, quam non importat nomen *principii*. (Summa th. 1. p. q. 33. a. 1.) Iam vero si haec duo existant, nihil ulterius requiri videtur ad notionem causae complendam. Quare poterit commode sic describi cum

Suarez (*Metaph.* D. 12. sect. 2. n. 4.): *Causa est principium per se influens esse in aliud*. Verba enim illa *per se influens* exprimunt primam conditionem: alteram vero illa alia verba, h. e. *esse in aliud*. Vox enim *aliud* substantive dicta vim habet significandi distinctionem secundum essentiam: quare, ut monet Angelicus Doctor (*Summa th.* 1. p. q. 31. a. 2.), in divina Trinitate est *alius* et *alius*, non vero *aliud*. Adverte tamen, hanc non esse proprii nominis definitionem, quasi conceptus causae ea indigeat. Est enim unus e primordialibus, qui ante omnem quaestionem naturaliter in cuiusque intelligentia efflorescit, ut notavit Philosophus (2. *Poster.* initio).

Hinc tria facile intelliguntur.

I. Causa differt a pura *conditione* requisita. Haec enim est necessaria quidem ut causa influat in effectum, ut approxinatio localis, ipsa tamen nihil influit. Hinc, mutata causa, nequit non mutari eius causalitas: contra, si mutetur conditio, dummodo alia aequivalens subrogetur, poterit eadem numero causalitas permanere. Simili titulo discernenda est etiam causa ab *occasione*, ad cuius scilicet praesentiam aliquid fit. Hoc vero differt inter conditionem et occasionem, quod illa requiratur, haec vero minime. Ceterum occasio haud raro allicit et invitat causam ad agendum: tunc vero non est pura occasio, sed ad aliud genus causae moralis revocanda est.

II. Causa *per accidens* non est propria causa. Dicitur enim causa *per accidens*, quae coniungitur cum causa vero influente, ipsa vero nihil influit (1).

(1) Diversos modos, quibus aliquid dici possit causa per accidens, sic dilucide exponit S. Thomas. \* Sciendum est, ait, quod aliquid potest dici causa alterius per accidens dupliciter: uno modo ex parte causae, quia scilicet illud quod accidit causae dicitur causa per accidens, sicut si albam dicitur causa domus: alio modo ex parte effectus, ut scilicet aliquid dicitur causa per accidens alicuius, quod accidit ei quod est effectus per se; quod quidem potest esse tripliciter. Uno modo, quia habet ordinem necessarium ad effectum; sicut remotio impediendi habet ordinem necessarium ad effectum.

III. Distinctio principiorum ab Aristotele tradita [607], habet locum etiam in causa. Sic, praemissae sunt causa cognoscendi respectu conclusionis [394]. Sic etiam forma, quae de potentia subiecti educitur, est quidem causa *essendi* respectu compositi, licet sit potius terminus quam principium respectu motus quo fit compositum. Denique habetur causa *fiendi* tantum, et non *directe secundum esse*, quotiescumque effectus non dependet ab aliqua causa, praecise ut sit in natura rerum, sed solum ut incipiat esse per talem actionem, puta per generationem, ut alibi melius declarabitur.

609. **Diversa causarum genera.** — Communi philosophorum et theologorum calculo approbata est divisio causarum ab Aristotele tradita (2. *Physic.* c. 3., 4. al. 5. *Metaph.* c. 2), in quatuor genera, causae scilicet *finalis*, *efficientis*, *formalis*, et *materialis*. Et sane, tot recensere oportet causarum genera, quot sunt ea per quae respondetur quaestioni *Propter quid*, vel *Cur*, respectu scilicet rerum quae ex se non habent rationem cur sint potius quam non sint: haec quippe manifeste est quaestio causae, ac propterea dicimur habere intellectum naturaliter *curiosum*, causae nempe inquisitivum. Atqui praedictae quaestioni satisfit solummodo per aliquam e quatuor causis assignatis. Vel enim simpliciter postulatur, cur res de novo existens sit potius quam non sit: et quaestioni respondere oportet assignando causam rei *efficientem*. Quod si ulterius huiusmodi quaestio urgeatur, ob indifferentiam scilicet causae efficientis, atque adeo interrogetur, cuius rei

Unde removens prohibens dicitur movens per accidens: sicut columna impedit motum lapidis; unde removens columnam dicitur per accidens movere lapidem superpositum. Alio modo, quando accidens habet ordinem ad effectum non tamen necessarium nec ut in pluribus, sed in paucioribus: sicut inventio thesauri ad effossionem in terra. Et hoc modo fortuna et casus dicuntur causae per accidens. Tertio, quando nullum ordinem habet nisi forte secundum existimationem; sicut si aliquis dicat, se esse causam terraemotus, quia, eo intrante domum, accidit terraemotus. (5. *Metaph.* lect. 3.)

gratia efficiens operetur potius quam non operetur, tunc profecto assignari debet causa *finalis*. Quemadmodum enim efficiens est causa rei quantum ad esse, ita finis est causa ipsius efficientis quantum ad rationem suae causalitatis. Vel potest secundo quaeri, cur res quae a non esse transit ad esse, haec sit potius vel talis quam alia vel alio modo se habens, spectando nimirum non tam ipsum esse rei, sed ipsius potius quidditatem. Huic porro quaestioni primo quidem satisfieri debet assignando causam *formalem*, quae idcirco ab Aristotele II. cc. egregie et nervose dicta est *ratio quidditatis rei*, ἡ λόγος τοῦ τί ἐστιν εἶναι. Cum vero huiusemodi forma saepenumero per motum seu mutationem inducatur, oportet aliud existat causarum genus, *subiectivae* scilicet seu *materialis*, quae huic formae recipiendae sit idonea. Atqui nulla alia assignari potest causa, quae ad aliquod e recensitis generibus non revocetur, ut manifesta patet inductione, et uberius in sequentibus declarabitur. Ergo allata divisio bona est ac optimo omnino iure retinenda.

## SECTIO II.

### *Propria notio causae efficientis eiusque species.*

610. **Argumentum.** — In sectione praecedenti generalem notionem causae tradidimus, eiusque diversa genera indicavimus. Recta modo doctrinae consecutio postulat, ut propriam notionem ac veritatem singularum penitus expendamus. Atque, ut a notioribus exordium ducatur, primo quidem de causa efficienti est agendum, quo pateat quae sit propria ratio ac valor, quae conditiones, quodnam proximum principium causalitatis eiusdem. His autem absolutis, de reliquis causarum generibus postmodum agemus. In praesenti sectione declarabimus

tantum ipsam rationem intellectam quae in conceptu proprio causae efficientis menti nostrae observatur; cuius deinde obiectivum valorem in altera sectione vindicabimus.

611. **Causae efficientis propria definitio.** — Causa efficiens, ut ipsum eius nomen significat, ea est, *ex cuius vera et physica operatione dependet primo ipsa rei effectio* (1). Quid autem sit effectio, paulo ante insinuavimus [607]. Differt porro a causa materiali et formali, quia haec vel sunt causae solum essendi et non fiendi, ut suo loco declarabitur, vel si quando ipsa rei effectio ab ipsis etiam dependet, non tamen dependet primo. Differt etiam a causa finali, quia haec non exercet influxum suum in ordine physico, actione nempe physica et reali, sed in ordine intentionali dumtaxat. Est autem manifesta necessitas causae efficientis, respectu rerum omnium quae contingenter existunt. Quaecumque enim sunt eiusmodi, ideo quia sic se habent, nequeunt profecto repetere a suis constitutivis rationem sufficientem cur existant. Ergo in aliquo alio talem rationem habeant necesse est: habere quippe talem rationem in nihilo perinde est ac nullam habere rationem sufficientem propriae existentiae. Porro hoc aliud est causa efficiens, vere et proprie, cum ab eo dependat praecise quod res a non esse transeat ad esse, ac propterea *fiat* [607].

612. **Causa efficiens principalis et instrumentalis.** — Quo tradita notio causae efficientis melius praeformetur,

(1) Aristoteles locis citatis [609] his verbis definiit causam efficientem: *Id unde primum principium est mutationis et quietis*. Ceterum, ut recte expendit Suarez (*Metaph.* D. 17, sect. 1), vel dicendum est, Philosophum his verbis definiisse solummodo causam efficientem naturalem, quae semper agit mediante motu vel mutatione, vel mutationis nomen latius hic accipiendum esse, nimirum pro quocumque transitu a non esse ad esse, qui habetur etiam in creatione. Praeterea cum dicitur in hac definitione *id unde primum principium*, intelligendum est, in ordine physico et reali, non vero intentionali, quemadmodum ostendunt exempla, quibus ad hoc declarandum utitur ibidem ipse Philosophus. Quare definitio haec, si rite explicetur, non differt ab ea quam nos attulimus.

oportet eam expendere secundum diversas species seu modos efficientiae, quae recenseri solent. Ac primo quidem observatu dignissima est divisio causae efficientis in *principalem et instrumentalem*. Utriusque porro propriam rationem sic breviter et dilucide, ut solet, declarat Angelicus. \* Duplex, ait, est causa agens, principalis et instrumentalis. Principalis quidem operatur per virtutem suae formae, cui assimilatur effectus, sicut ignis suo calore calefacit.... Causa vero instrumentalis non agit per virtutem suae formae, sed solum per motum, quo movetur a principali agente: unde effectus non assimilatur instrumento, sed principali agenti; sicut lectus non assimilatur securi, sed arti quae est in mente artificis. ( *Summa th.* 3, p. q. 62, a. 1.) Ceterum haec intelligi debent de instrumento, *prout agit ut instrumentum*. Cum enim causa instrumentalis et ipsa sit vera causa efficiens, necesse est ut ei conveniat agere secundum virtutem propriae formae: secus esset pura causa materialis, ac frustra ad agendum adhiberetur, nec oporteret esse determinata instrumenta determinatarum actionum. Si itaque consideretur effectus, prout procedit ab instrumento operante secundum virtutem propriam, necesse est ipsum quoque suae causae similitudinem referat. Tum vero non spectatur, ut instrumentum, sed ut causa principalis. Actio proinde propria instrumenti, qua talis, debet spectari in eo prout agit virtute derivata in ipsum a causa principali. Quare idem S. Doctor (*loc. cit.* in resp. ad 2.) haec habet. \* Dicendum quod instrumentum habet duas actiones: unam instrumentalem, secundum quod operatur, non in virtute propria, sed in virtute principalis agentis; aliam autem habet actionem propriam, quae competit ei secundum propriam formam; sicut securi competit scindere ratione suae acuitatis, facere autem lectum in quantum est instrumentum artis. Non autem perficit instrumentum actionem, nisi exercendo actionem propriam; scindendo enim facit lectum. Confer etiam quae habet (*Summa th.* 1, p. q. 45, a. 5.), una cum iis, quae in h. a. scite animadvertit Caietanus.

613. **Causa efficiens physica et moralis.** — Dividitur secundo causa efficiens in *physicam* et *moralē*. Prior dicitur ea quae vera ac propria causalitate et independenter ab aestimatione hominum exequitur effectum, ut sol lucem: posterior vero nuncupatur, quae tametsi per se nihil vere efficiat, sic tamen se gerit ut ei imputetur effectus. \* Quo fit, recte ait Suarez, ut physice seu metaphysice haec considerando, divisio haec revocetur ad priorem de causa per se et per accidens; nam causa vere efficiens physice solum dicitur de causa per se; causa autem, quae moraliter tantum seu imputative causat, physice considerata, tantum est causa per accidens; cum per se ac vere non influat. Unde semper est aut causa non impediens, cum possit ac debeat, aut causa applicans causam per se vel inducens illam, sive per consilium, sive per preces, sive per modum meriti, sive interdum etiam per localem motum, ut cum quis applicat ignem domui; nam licet sit causa per se physica illius motus, combustionis tamen solum est causa per accidens. Haec vero causalitas, quae physice est per accidens, moraliter et imputative reputatur per se. (Metaph. D. 17. sect. 2. 6.) (1)

614. **Causa universalis et particularis.** — Ut haec tertia divisio intelligatur, notandum est, causam efficientem dici universalem vel absolute, vel relative. Absolute

(1) Minime est confundenda causa efficiens moralis cum causa finali. Nam finis, independenter a morali aestimatione, et inspecta ipsa physica natura voluntatis, est causa maxime per se, et non per accidens, licet non efficienter. Bonum enim per se movet appetitum. Nec refert, quod etiam motio causae finalis dicatur *moralis* et *metaphysica*. Non enim dicitur *moralis*, quasi finis causet dumtaxat secundum *moralē* aestimationem, sed quia causat prout est in ratione, quae est primum principium *operationum moralium*. Dicitur autem *metaphysica* haec motio, si spectetur per modum *efficientiae*, non vero quatenus non sit vera, propria, et per se *causalitas*: latius enim patet conceptus causalitatis, quam conceptus efficientiae. Causa vero moraliter efficiens vel est pure non impediens, vel solummodo applicat causam vere influentem.

sic vocatur ea, cuius virtus ad omnes omnino effectus se protendit: relative vero quae suum influxum exercet in omnes effectus alicuius generis, puta corporales, etc. Dicitur proinde particularis, quae ad aliquam vel aliquas species effectuum concurrat. Est autem duplex discernimen inter utramque causam notatum a S. Thoma. \* Dicendum, ait, quod aliter est de causa universali, et de causa particulari. Ordinem enim causae particularis aliquid potest exire, non autem ordinem causae universalis. Non enim subducitur aliquid ab ordine causae particularis, nisi per aliquam aliam causam particularem impediendam, sicut lignum impeditur a combustionem per actionem aquae. Unde cum omnes causae particulares concludantur sub universali causa, impossibile est, aliquem effectum ordinem causae universalis effugere. . . . Dicendum quod aliter de eo est, qui habet curam alicuius particularis, et de providore universali: quia provisor particularis excludit defectum ab eo, quod eius curae subditur, quantum potest; sed provisor universalis permittit aliquem defectum in aliquo particulari accidere, ne impediatur bonum totius. Unde corruptiones et defectus in rebus naturalibus dicuntur esse contra naturam particularem, sed tamen sunt de intentione naturae universalis, in quantum defectus unius cedit in bonum alterius, vel etiam totius universi; nam corruptio unius est generatio alterius, per quam species conservatur. (Summa th. 1. p. q. 22. a. 2. ad 1. et 2.)

615. **Causa efficiens totalis et partialis.** — Haec divisio affinis est praecedenti. Dicitur porro causa *totalis* vel *partialis*, prout vel totum producit effectum vel quoad partem dumtaxat. Patet autem, causam partialem semper indigere alia concausa ad effectus productionem. Quoad causam vero *totalem* distinguere oportet. Dupliciter enim sic dicitur, nimirum *totalitate effectus*, et *totalitate virtutis*. Dicitur tota primo modo, si effectus in tota sua entitate spectatus ab ea dependet: atque ita nihil prohibet, quominus unus idemque effectus totus simul dependeat a pluribus causis diversi ordinis. Exemplo esse potest co-

gnoscendi actus, qui totus quantum est pendet a potentia et obiecto. Dicitur autem tota *totalitate virtutis*, si tantam virtutem exerat quanta requiritur ad effectus productionem; atque ita negat S. Thomas posse dari plures causas totales eiusdem effectus. \* Impossibile est, ait, quod duae causae completae sint immediatae unius et eiusdem rei. Quod patet in omni genere causarum; quia una est forma proxima unius rei et unum est proximum movens, licet possint esse plures motores remoti. Nec habet instantiam de pluribus trahentibus navem; quia nullus eorum est perfectus motor, cum virtus uniuscuiusque sit insufficientis ad movendum; sed omnes simul sunt loco unius motoris, in quantum omnes virtutes aggregantur ad unum motum faciendum. » (*Summa th. 1. p. q. 52. a. 3.*)

616. **Causa naturalis et libera. Definitio facultatis liberae.** — Haec est altera causae efficientis divisio, eaque speciatim ad diligenter notanda. Cum vero haec duo positive quidem, sed immediate invicem opponantur, ex declaratione unius alterum etiam membrum huius divisionis eo ipso declaratur. Iam age, ex communi hominum sensu ea vocatur causa *libera*, quae dominium habet supra suos actus, ratione cuius in eius potestate sit agere vel non agere. Quod paucis complexus est S. Thomas his verbis: *Sumus domini nostrorum actuum secundum quod possumus hoc vel illud eligere... Ex hoc liberi arbitrii esse dicimur, quod possumus unum recipere alio recusato, quod est eligere* (*Summa th. 1. p. q. 82. a. 1. ad 3., q. 83. a. 3.*). Quo vero id melius intelligatur, haec veniunt in re praesenti diligenter observanda, ut proprius conceptus liberae facultatis rite praefinetur.

I. Necessitas potest esse vel *coactionis*, vel *naturalis*, vel *finalis* duntaxat. Necessitas coactionis idem est ac violentum, quod sic vocatur propterea quia est plane ab extrinseco contra naturalem rei inclinationem. Necessitas vero naturalis ea est quae ex ipsa determinatione naturae procedit atque adeo electionem antevertit. Quod si aliquid propterea dicitur necessarium quia sine eo finis aliquid obtineri non potest, eiusmodi necessitas *finalis* appella-

tur (1). Iam vero manifestum est primam et alteram necessitatem plane opponi exercitio liberae operationis. Violentum quippe prohibet, quominus motus ex naturae inclinatione procedat, immo ei plane adversatur. Atqui nequit dici esse in potestate et sub dominio alicuius facultatis, si sit huiusmodi; quod autem non est in potestate et sub dominio facultatis, ei certe liberum esse non potest. Similiter quod ex sola naturae determinatione proficiscitur atque adeo electionem antevertit, eo ipso electioni minime subest. Atqui nequit esse liberum quod sub electionem non cadit, nisi velimus libertatem tribuere rebus omnibus naturalibus, quod nemo profecto dicit. Contra, necessitas *finalis* amico foedere cum libero exercitio componi potest. Haec enim existit, ut diximus, ex eo quod aliquid necessario requiritur ad finem obtinendum. Atqui id certe minime prohibet, quominus quis liber sit in ipsa finis appetitione, et consequenter in appetitione eorum sine quibus finis obtineri non potest.

II. Aliquid praeterea dicitur necessarium dupliciter, necessitate videlicet *antecedenti*, vel *consequenti*. Prior vocatur etiam *absoluta* vel *consequentis*; altera vero *conditionata* vel *consequentiae*. Necessitas existit antecedens, ut ipsum nomen significat, quae ab ipso exercitio libertatis non pendet: cuiusmodi est necessitas sive

(1) Ad rem S. Thomas. \* Dicendum, quod necessitas dicitur multipliciter. Necessitas est enim, quod non potest non esse. Quod quidem convenit alicui, uno modo ex principio intrinseco, sive materiali, sicut cum dicimus quod omne compositum ex contrariis necesse est corrumpi; sive formali, sicut cum dicimus, quod necesse est triangulum habere tres angulos aequales duobus rectis. Et haec est necessitas naturalis et absoluta. Alio modo convenit alicui, quod non possit non esse ex aliquo extrinseco vel fine vel agente. Fine quidem sicut cum aliquis non potest sine hoc consequi aut bene consequi finem aliquem, ut cibis dicitur necessarius ad vitam et equus ad iter: et haec vocatur necessitas finis, quae interdum etiam utilitas dicitur. Ex agente autem hoc alicui convenit, sicut cum aliquid cogitur ab aliquo agente ita quod non possit contrarium agere: et haec vocatur necessitas coactionis. » (*Summa th. 1. p. q. 82. a. 1.*)

coactionis. Habetur autem necessitas consequens, quae exercitium libertatis subaudit. Ex qua simplici terminorum declaratione manifestum est priorem tantum exercitio libertatis obesse. Sic, necesse est Deum videre infallibiliter ea quae agimus: haec tamen infallibilitas minime obstat contingentiae et libertati actuum humanorum, quia nimirum, ut ex theologia suppono, scientia divina visionis supponit suum obiectum, non causat (1).

III. Duplex existit *indifferentia* in facultate operativa, *passiva* scilicet et *activa*. Illa consistit in eo quod facultas possit habere vel non habere requisita ad agendum, tametsi his habitis nequeat non agere: haec vero habetur, cum, etiam positis omnibus ad agendum requisitis, remanet sub potestate facultatis agere vel ab agendo abstinere. Vocantur porro *requisita ad agendum*, quae necessaria sunt ut virtus aliqua sit proxime expedita quo possit suam activitatem exercere: quo modo se habet ex. gr. propinquitas localis in actionibus transeuntibus, species intelligibilis respectu intellectus, cognitio respectu voluntatis, exhibitio divini concursus in omnibus causis secundis. Iam vero manifestum est priorem indifferentiam minime sane sufficere ad libertatis exercitium. Talis quippe indifferentia existit etiam in facultatibus naturalibus quae a nemine dicuntur liberae: ut videre licet in appetitu etiam brutorum, in intellectu respectu eorum etiam quae

(1) \* Dicendum, quod actus divinae cognitionis transit supra contingens, etiam si futurum sit nunc, sicut transit visus noster supra ipsum dum est: et quia esse quod est, quando est, necesse est, quod tamen absolute non est necessarium; ideo dicitur, quod in se consideratum est contingens, sed relatum ad Dei cognitionem est necessarium, quia ad ipsam non refertur nisi secundum quod est in esse actuali. Et ideo simile est sicut si ego videam Socratem praesentialiter currere; quod quidem in se est contingens, sed relata ad visum meum est necessarium. Unde bona est distinctio, quod est necessarium necessitate consequentiae et non consequentis, vel necessitate conditionata non absoluta. S. THOMAS, (I. Dist. 38. q. un. a. 5. ad 3.) Confer alia testimonia eiusdem S. Doctoris quae in Logica citavimus [217, obiec. IV].

evidenter patent, ac generatim in omni causa efficienti cui deesse potest conditio aliqua, sine qua actio exeri nequit. Et ratio est a priori, ducta nempe ex ipso concepta facultatis liberae, quem ex communi naturae sensu omnes habemus. Ut enim talis facultas habeatur, necesse est ut in ea existat *simultanea potestas* agendi et non agendi; non quasi *possit agere et non agere simul*, quod apertam contradictionem implicat, sed quatenus *simul possit agere* vel ab agendo abstinere. Atqui haec simultanea potestas numquam habetur cum sola indifferentia passiva facultatis. Vel enim facultas spectatur antequam ipsa instructa sit necessariis requisitis ad agendum, vel cum requisita istiusmodi de facto sunt posita. Si primum, habetur quidem facultas non agendi, sed deest facultas agendi; quippe secus facultas posset in actum suum prodire etsi deest conditio necessario praerequisita. Si secundum, habebimus quidem facultatem agendi, sed minime facultatem non agendi, cum supponantur requisita necessario connexa cum operatione facultatis quae iis instruitur. Quare S. Thomas: \* Et propter hoc, ait, in solis intellectum habentibus liberum arbitrium invenitur, non autem in illis, *quorum actiones non determinantur ab ipsis agentibus, sed a quibusdam aliis causis prioribus.*, (2. Dist. 25. q. un. a. 1.) Confer cetera testimonia Angelici Doctoris apud Mathaeum Liberatore in rem praesentem collecta (*Instit. Philos.* Vol. 2. in Appendice, Edit. an. 1881).

IV. Ex dictis patet facultatem liberam sic commode definiri posse: *Facultas libera est ea quae ita potest agere, ut in sensu composito requisitorum possit etiam non agere.* Quod si mavis ipsam libertatem facultatis in abstracto definire, ea nihil aliud est quam *indifferentia facultatis activa, quae positis omnibus ad agendum requisitis potest agere et non agere.* Etsi vero communiter duplex modus libertatis distingui consuevit, *exercitii* videlicet, et *specificationis*, ac prima fronte prior tantum in allata definitione contineri videtur, re tamen penitus inspecta, ad alium etiam libertatis modum ea pertinere apparebit. Cum enim

libertas exercetur respectu actuum diversorum vel contrariorum (quae libertas *specificationis* vocatur), hoc idcirco contingit, quia respectu uniuscuiusque istorum actuum habetur simultanea potestas eum exercendi vel non exercendi, in quo consistit ea quae *libertas exercitii* nuncupatur. Libertas proinde specificationis ita a libertate exercitii distinguitur, ut in ea nitatur, immo ab ea nomen ac rationem libertatis derivat: est nempe quasi multiplex exercitii libertas.

617. Quo pacto praeformata libertatis ratio locum habere possit in causa quae cum sua operatione identificatur. — Definitio modo tradita veritatem habet in causa libera, cuius facultas agendi aliud est secundum rem ab ipsa actione, qualis est causa quaelibet creata, ut suo loco ostendetur. Quod si ad primam rerum omnium causam, quae Deus est, transferatur, cum in ea facultas agendi et agere non distinguantur nisi secundum intelligendi modum [563, nota], necesse est ipsi sic attribuat quod perfectionis elucet in ea notione, ut simul excludantur imperfectiones quae eidem admiscuntur ex proprio modo essendi quae sortitur in causa creata: haec quippe est generalis regula servanda semper ac perfectiones creaturarum supremo Creatori attribuuntur, ut ex theologia naturali suppono. Iam age, si introspeciamus id quod proprie commendat perfectionem facultatis libere agentis, puta voluntatis quae et quatenus libere se flectit in alterutram contradictionis partem, id praecise consistit in activa indifferentia, qua pro lubitu, h. e. sine determinatione ab extrinseco recepta, sic inclinatur in obiectum, ut in potestate ipsius sit ad illud non inclinari, quae inclinatio in ipso appetitionis actu posita est. Quod autem id contingat per actum appetendi ab ipsa facultate reipsa distinctum eique superadditum, id ex duplici eiusdem facultatis imperfectione procedit. Primo quidem ex ipsius innata *potentialitate*, qua nimirum non est virtus omnino perfecta seu in actu, sed ita est in actu suae virtutis ut simul sit in potentia, quae propterea ulterius compleri indigeat. Secundo vero id habetur ex

intrinsic limitatione unius actus, qui totus quantum est ad determinatum obiectum ordinatur, et ab eo speciem recipit: unde fit, ut voluntas, sub tali actu existens, nequeat intelligi vel ad eius obiectum non inclinata, vel inclinata ad eius oppositum. Ceterum (et hoc maxime notari debet), si in ipsa creata voluntate spectetur solummodo ipsa virtus volendi, pro eo quantum est huiusmodi, virtus scilicet, eadem est sive sub actu volendi vel nolendi, sive sub utriusque actus privatione, tanetsi ipsa sit ratio cur unum prae alio habeatur. Quare si detur aliqua virtus quae sit sua operatio, et voluntas quae sit suum velle, erit profecto eiusmodi quae secundum unam eandemque operationem atque unum idemque velle pro lubitu respiciet suos effectus suaeque obiecta pro merito et contingentia eorumdem; ea ferme ratione, qua in nobis etiam non est alia et alia virtus quae effectum suum habet vel non habet, nec est alia et alia virtus volendi quae velit aut nolit seu velit hoc prae illo. Atque ita res habet in prima rerum omnium causa, quae Deus est: est enim totus et purus actus [581, I.]. Libertas proinde ei propria et intrinsicca consistit in *eminenti quadam potestate unius eiusdemque simplicissimi actus ad attingenda eel non attingenda contingentia obiecta, quin ulla internae mutationis umbra in ipso actu cogitetur*. Huc spectat doctrina ab Aquinate tradita. "Aliquando, ait, causa necessaria habet non necessariam habitudinem ad aliquem effectum, quod est propter defectum effectus, et non propter defectum causae. Sicut virtus solis habet non necessariam habitudinem ad aliquid eorum quae contingenter hic eveniunt, non propter defectum virtutis solaris, sed propter defectum effectus non necessario ex causa provenientis. Et similiter, quod Deus non ex necessitate velit aliquid eorum quae vult, non accidit ex defectu voluntatis divinae, sed ex defectu qui competit volito secundum suam rationem, quia scilicet est tale ut sine eo esse possit perfecta bonitas Dei. Qui quidem defectus consequitur omne bonum creatum." (*Summa th.* 1. p. q. 19. a. 3. ad 4.) Quibus verbis optima exhibetur *proportiona-*

litas (1) ad hanc rem, ceteroquin maxime difficilem, aliquo modo capiendam et adumbrandam. Nempe sicut virtus causativa, si sit in se omnino perfecta et in actu, nullam intrinsicam mutationem patitur propterea quia ex defectu seu imperfectione subiecti vel termini non necessario producat effectum: ita cum voluntas divina sit maxime in actu, siquidem est suum velle, nullam mutationem subit dicere quod pro libero nutu in obiecta contingentia flectitur. Talis quippe indifferentia non est ex defectu perfectionis seu actionis ipsiusmet divini velle, sed ex defectu rei volitae qui consequitur omne bonum creatum. Et id ipsum accideret, ut diximus, in voluntate creata, si nullam potentialitatem contineret, nempe si non esset potentia volendi sed velle.

618. **Partitiones ceterae causae efficientis.** — Sunt

(1) Consulto dixi *proportionalitatem*, non vero *proportionem* [32], ut excludam explicationem a nominalis traditam, quibus Deum velle aliquid extra se nihil est aliud, quam in re illa mutationem aliquam facere, vel aliquid esse illi conferre, quod est in potestate Dei facere, vel non facere. Atqui id minime aridet. Nam, ex communi modo concipiendi, velle seu amor vel odium, formaliter spectata, adequate sunt in volente: contra, facere vel formaliter vel saltem secundum suum connotatum intrinsicum sunt extra. Qua de causa quae priorem operationem significant dicuntur de Deo ab aeterno, secus ac nomina quae ipsum facere significant, ut notavit S. Thomas (*Somma th.* I. p. q. 13. a. 7. ad 3.). Id ipsum, et quidem manifestissime, elucet in divina scientia rerum contingentium, quam *visionis* appellant: ea quippe et ipsa est contingens, tametsi formaliter minime complectitur per aliquid Deo extrinsecum. Accedit quod istiusmodi explicandi modus minime cohaeret cum aliis veritatibus aliunde certis. Datur enim in Deo, ut ex theologia suppono, voluntas libera, vera quidem et propria, inefficax tamen, puta salutis non praedestinatorum. Insuper unum idemque medium pro nutu divinae voluntatis ad diversissimos fines ordinatur, intentione tum efficaci tum inefficaci. Non repugnat etiam peccata a Deo gratuito condonari per condonationem mere extrinsecam, quod est in praesenti ordine divinae providentiae non fit, minime dici potest res absolute impossibilis. Haec et alia his gemina non intelliguntur, si indifferentia divinae voluntatis per extrinsecam illam denominationem quis explicare mallet, quam paulo ante declaravimus. Lege Suarez (*Metaph.* D. 30. sect. 9. n. 4. 5. 6. 35. 46.).

et aliae partitiones quae huc spectant, quaeque utpote faciles intellectui breviter hic sunt innuenda. Dividitur itaque

I. In causam efficientem *per se*, vel *per accidens*: quae divisio iam declarata habetur ex his, quae ante diximus [608, nota].

II. In causam *proximam* et *remotam*. Illa est ex qua ipse effectus proficitur; haec vero, quae non in effectu, sed in causam intermediam influit ex qua effectus procedit.

III. In causam *immediatam* et *mediatam*. Haec porro divisio quandoque coeedit cum praecedenti; quandoque vero sic accipitur, ut nomine causae immediatae vocetur ea quae per se sola sine alterius adminiculo influit in effectum; causa contra mediata dicatur, quae, tametsi sit effectui propinqua, in illum non se sola, sed alia adiuvante vel concurrente influit. Hoc postremo sensu Deus est causa immediata respectu eorum quorum est creator, causa vero mediata respectu eorum quae per creaturas operatur.

IV. In causam *primam* et *secundam*. Illa dicitur quae sic est causa ut non sit effectus; haec vero quae sic est causa, ut simul et ipsa sit effectus, cuiusmodi sunt omnia agentia creata.

V. In *univocam* et *aequivocam*, prout producit effectum eiusdem speciei, vel qui analogice tantum cum ipsa convenit.

VI. In causam *perficientem*, *disponentem*, *adiuvantem* et *consilientem*, qui sunt quatuor alii modi causae efficientis enumerati a S. Thoma, quosque ita ipse declarat. \* Perficiens dicitur causa efficiens quae ultimam rei perfectionem causat sicut quod inducit formam substantialem in rebus naturalibus, vel artificialem in artificialibus, ut aedificator domus. Disponens autem, quae non inducit ultimam formam perfectivam, sed tantummodo praeparat materiam ad formam: sicut ille qui dolat ligna aut lapides, dicitur domum facere. Et haec non proprie dicitur efficiens domus; quia id, quod ipse facit, non est domus,

nisi in potentia. Magis tamen proprie erit efficiens, si inducat ultimam dispositionem ad quam sequitur de necessitate forma; sicut homo generat hominem non causans intellectum, qui est ab extrinseco. Aduvans autem dicitur causa secundum quod operatur ad principale effectum. In hoc tamen differt ab agente principali, quia principale agens agit ad finem proprium, adjuvans autem ad finem alienum; sicut, qui adiuvat regem in bello, adiuvat ad finem regis. Et haec est dispositio causae secundariae ad primam; nam causa secunda operatur propter finem primae causae in omnibus agentibus per se ordinatis, sicut militaris propter finem civilis. Consilians autem differt ab agente principali, in quantum dat finem et formam agendi. Et haec est habitudo primi agentis per intellectum ad omne agens secundum, sive sit naturale, sive intellectuale: nam primum agens intellectuale in omnibus dat finem et formam agendi secundo agenti, sicut architector navis navim operanti, et primus intellectus toti naturae. (5. *Metaph.* lect. 2.)

### SECTIO III.

*Nam creaturae sint causae vere et proprie efficientes.*

619. **Error refellendus.** — In praecedenti sectione declaravimus ipsam notionem efficientis causae ac diversos modos secundum quos eiusmodi notio ipsa natura duce ab humana mente concipitur. Simul etiam ostendimus veritatem ipsiusmet, si universe ac generaliter ipsa spectetur [611]. Si tamen nulla daretur causa nisi *prima*, patet recensitas causae efficientis partitiones fore plane inutiles et ad illudendum potius excogitatas. Atqui ita docuerunt nonnulli ex antiquioribus philosophis, quos tacito nomine meminit S. Thomas (2. *Dist.* 1. q. 1. a. 4.,

*Summa th.* 1. p. q. 105. a. 5., 3. *Cont. Gent.* c. 69.); quorum errorem, post novam philosophandi rationem a Cartesio inductam, plures e recentioribus instaurarunt, praecipue vero Malebranchius (*De la recherche de la vérité*, P. II., *De la méthode*, lib. VI. chap. III.). Appellata est haec opinatio *Occasionalismus*. Deus enim in hac sententia ipse solus operatur omnes effectus naturales, sed ad praesentiam creaturarum, et sic occasione sumpta a rebus creatis. Sic, ignis appropinquatus stipulae occasio est Deo, ut ipse per semetipsum solus eam comburat. Quidam vero non usque eo progressi sunt, ut omnem plane activitatem in quibuscumque rebus creatis inficerentur; sed de solis corporibus id affirmarunt, ob specialem videlicet imperfectionem naturae materialis quantitatis subiectae. Sic docuit Avicbron, prout refert Divus Thomas (*Summa th.* 1. p. q. 115. a. 1.), ubi simul adducuntur rationes omnes, quibus haec sententia a suis fautoribus fuit confirmata. In eam, meo iudicio, recidere reipsa debent ii quoque recentiores philosophi, qui in rebus corporalibus nihil aliud agnoscunt, nisi materiam ac motum localem, sic nimirum ut principium activum huius motus, sicut et materiae, sit solus Deus. Motus enim localis, in se formaliter inspectus, est quidem effectus activitatis, sed non activitatis. Ut itaque in tuto collocetur obiectivus valor notionis causae efficientis, quam ante declaravimus, necesse est errorem adeo funestum diligenter refellere. Ut vero haec refutatio facilius et luculentior evadat, minime est permittenda praesens questio cum altera, in qua de *natura activitatis* agentium secundorum disputatur. Nam modo id solummodo agimus ut *existentiam* verae et propriae activitatis causis secundis asseramus, prout nempe haec communi naturae sensu ab omnibus concipitur. Quae vero ad distinctiorem conceptum eiusdem activitatis secundum proprium uniuscuiusque causae modum pertinent, id partim in sequentibus sectionibus, partim in *Metaphysica speciali* declarari et vindicari debet.

THESIS XXIV.

*Praeter activitatem primi agentis, necesse est admittere veram activitatem etiam causarum secundarum. Quocirca res creatae, sive spirituales, sive materiales, non sunt merae occasiones effectuum, quos communis hominum sensus eis attribuit, sed causae vere efficientes.*

620. *Demonstratio.* — Hanc thesim luculenter demonstratam habes apud Angelicum II. cc. Inde sequentes probationes elicimus.

I. Prima probatio est a *posteriori*, ducta videlicet ex ipsius experientiae testimonio. Si enim conscientiam audiamus, unusquisque nostrum intime persentiscit, animum suum revera agere. Sic enim operationes intelligendi, sentiendi, volendi experimur, ut non modo sint in nobis, sed etiam a nobis: unde nemo est, qui eas sibi non attribuat tanquam principio a quo proficiantur. Ad experientiam vero externam quod attinet, etsi per se sola meram successiorem phaenomenorum attingit, nihilominus adeo invariata, constans, et universalis est connectio, qua determinatos effectus nonnisi determinatis causis adhibitis sequi conspiciamus, ut communi naturae sensu omnes generatim ac firmiter nobis persuadeamus, ea phaenomena ex interna activitate illarum causarum revera procedere. Quare S. Thomas inter cetera argumenta, quibus (2. *Dist.* 1. q. 1. a. 4.) *stultitiae* notam opposito errori inurit, hoc etiam adducit, quia videlicet *destruit iudicium sensus*: nam adeo proxime activitas corporum cognata est cum iis, quae *per se* sunt obiecta sensuum externorum ut inter sensibilia *per accidens* merito recensatur [266].

II. Altera ratio ad hoc ipsum demonstrandum su-

mitur *a priori*, ex perfectione scilicet divinae virtutis. Potest enim divina virtus spectari tripliciter, videlicet vel secundum se, vel in fine propter quem operatur, vel denique in sapientia qua in sua operatione dirigitur. Atqui triplex haec consideratio plane excludit, nedum confirmat, errorem quem refutamus. Probatur haec minor per partes.

Ae primo quidem: " Perfectio effectus, ait S. Thomas, determinat perfectionem causae; maior enim virtus perfectiorem effectum inducit. Deus aulem est perfectissimus agens. Oportet igitur, quod res ab ipso creatae perfectionem ab eo consequantur. Detrahere ergo perfectioni creaturarum est, detrahere perfectioni divinae virtutis. Sed si nulla creatura habet aliquam actionem ad aliquem effectum producendum, multum detrahitur perfectioni creaturae; ex abundantia enim perfectionis est, quod perfectionem quam habet possit alteri communicare. Detrahit igitur haec positio divinae virtutis. (3. *Cont. Gent.* c. 69.) Hoc ipsum argumentum S. Doctor adducit in *Summa theologia*, ubi hunc errorem reprobat: " quia sic, ait, subtraheretur ordo causae et causati a rebus creatis; quod pertinet ad impotentiam creatis. Ex virtute enim agentis est quod suo effectui det virtutem agendi. (1. p. q. 105. a. 5.)

Id ipsum praeterea ostenditur, si consideremus finem, propter quem divina virtus operatur ad extra. Hic enim non est alius a gloria Conditoris, quae in hoc est, ut similitudinem suae bonitatis res a se conditae secundum uniuscuiusque modum assequantur. Quod autem Deus sit causa efficiens, consequitur ad hoc quod Deus sit actu. " Si igitur, pergit S. Thomas, communicavit aliis suam similitudinem, quantum ad esse, in quantum res in esse produxit; consequens est, quod communicavit eis similitudinem, quantum ad agere, ut etiam res creatae habeant proprias actiones. ( *Cont. Gent.* loc. cit.) Confer etiam quae habet ibidem c. 21.

Denique error, quem reprobamus, manifeste adversatur divinae sapientiae, a qua dirigitur divina virtus in

operando. \* Contra rationem sapientiae est, arguit rursus Angelicus, ut sit aliquid frustra in operibus sapientis. Si autem res creatae nullo modo operentur ad effectus producendos, sed solus Deus operaretur omnia immediate, frustra essent adhibitae ab ipso aliae res ad producendos effectus. Repugnat igitur praedicta positio divinae sapientiae. (Cont. Gent. loc. cit.) Nec satis est dicere, res non frustra fuisse conditas, ut quae tamquam occasiones a Deo adhibentur in producendis effectibus. Quorum enim occasiones adeo inutiles, praesertim cum tanto artificio elaboratae, quale maxime cernere licet in structura viventium? Cur ad talem effectum, puta combustionem ignis, potius adhibendus est ignis quam aqua? Quin immo nulla eluceret ratio essendi in creaturis, si nihil agere deberent. \* Semper enim, ait S. Thomas, imperfectus est propter perfectius. Sicut igitur materia est propter formam; ita forma, quae est actus primus, est propter suam operationem, quae est actus secundus: et sic operatio est finis rei creatae. (Summa th. 1. p. q. 105. a. 5.)

III. Confirmatur denique haec veritas ex gravissimis incommodis quae secus necessario admitti debent. Nam imprimis dicendum foret, nullam esse intrinsicam differentiam viventium a rebus inanimis: si enim Deus decerneret actus vitales producere ad praesentiam lapidis, ut modo decrevit ad praesentiam hominis, tam vere viveret lapis ex mente adversariorum, quam homo. Admittere praeterea oporteret, Deum esse auctorem et unice veram causam cuiusque pravi operis et actionis peccaminosae; neque ullam actionem posse nobis imputari, tamquam liberis agentibus: non enim quis libere agit vel peccat, qui nullam habet potestatem agendi. Sequeretur etiam ex hac doctrina, hominem, cum prolem generat, tam vere dici posse creare animam rationalem, quemadmodum ignis dicitur producere calorem; cum etiam ad praesentiam generantis, ut causae occasionalis, Deus animam creet. Destrueretur denique tota Philosophia naturalis. Apposite S. Thomas, \* Si effectus non producantur ex actione rerum creaturarum, sed solum ex actione Dei,

impossibile est quod per effectus manifestetur virtus alicuius causae creatae: non enim effectus ostendit virtutem causae nisi ratione actionis, quae a virtute procedens ad effectum terminatur. Natura autem causae non cognoscitur per effectum, nisi in quantum per ipsum cognoscitur virtus, quae naturam consequitur. Si igitur res creatae non habent actiones ad producendum effectum, sequitur, quod nunquam natura alicuius rei creatae poterit cognosci per effectum; et sic subtrahitur nobis omnis cognitio scientiae naturalis, in qua praecipuae demonstrationes per effectum sequuntur. (Cont. Gent. loc. cit.) (1)

*Solvuntur difficultates.*

621. **Obiectio I.** — Conceptus, ait Malebranchius, supremae potestatis agendi est conceptus supremae Divinitatis. Ergo conceptus potestatis activae inferioris est conceptus cuiusdam Divinitatis, inferioris quidem; verae tamen, ut putabant pagani. Accedit, quod debetur certe timor et amor iis rebus quae vere possunt nobis nocere aut prodesse: in timore autem et amore consistit adoratio.

Respondeo. *Neg. consequ.* Quemadmodum enim ceterae perfectiones, ita et potentia activa, eo ipso quod sint participatae, repugnant conceptui verae divinitatis. Quare pagani praecise in hoc turpiter errarunt, quod honorem, divinitati unice debitum, aliis tribuerunt. Ad confirmationem vero quae additur, dico non omnem timorem et amorem esse adorationem. Profecto qui equum amat, aut

(1) Propter haec argumenta, et ob manifesta testimonia Scripturae et Conciliorum, quae in favorem huius thesis afferri queunt, merito ait Suarez, \* Quam veritatem non tantum sensu et ratione existimo esse evidentissimam, sed etiam iuxta doctrinam catholicam certissimam. Unde sicut ob priorem causam oppositam sententiam Divus Thomas nullam appellavit, ob posteriorem vocare possumus temerariam et erroneam; ideoque rejicitur ob omnibus philosophis et theologis. (Metaph. D. 18. sect. 1. n. 5.)

taurum timet, non propterea illis, tamquam excellentioribus, reverentiam exhibet, cuiusmodi cultus in conceptu adorationis continetur. Deinde non omnis reverentia vel cultus erga quaecumque personam excellentiorem constituit adorationem soli Divinitati debitam; quae laetitia dicitur: sed ea dumtaxat tali nomine appellatur, quae debetur rei supremae et independenti potestate polenti, cui ceterae omnes causae ita subordinantur, ut, sine illius volentis aut permittentis nutu liberrimo, nullum nobis commodum aut incommodum possit accidere. Tantum vero abest, ut eiusmodi excellentia minuatur, quin potius mirifice elucescit ex activitate creaturarum, quam tuemur, ut manifeste patet argumentis quae ex D. Thoma recipimus.

**Obiectio II.** — Impossibile est dari veram actionem quae non sit creatio, quaeque idcirco creaturae attribui non potest. Si enim datur vera productio, aliquid quod ante productionem minime actu erat profecto produci debet. Quod autem sic producitur, eo ipso fit ex nihilo, ac propterea creatur (1).

Respondeo. *Nego assumptum.* Ad probationem *conc. maiorem; dist. minorem.* Si fit actione transmutativa, cuius proinde proprius terminus est compositum ex materia praeeistente, *nego;* si feret actione non transmutativa, quaeque per se et directe non circa compositum versetur, sed circa ipsam formam, quae de novo in materiam inducitur, *concedo.* Ad rem S. Thomas. \* Quum enim, ait,

(1) Hanc obiectionem, quae certe praecipua est in hac materia, his verbis proponit S. Thomas. \* Hunc errorem (h. e. causarum occasionalium) rationibus confirmare conati sunt, ostendentes nullam formam neque substantialem, neque accidentalem, nisi per viam creationis produci in esse. Non enim possunt formae et accidentia fieri ex materia, quum non habeant materiam partem sui: unde, si fiant, oportet, quod fiant ex nihilo, quod est creari: et quia creatio solus Dei actio est, ut ostensum est, sequi videtur quod solus Deus tam formas substantiales quam accidentales in natura producat. (Cont. Gent. loc. cit.)

ad hoc aliquid fiat ut sit, sicut forma non dicitur ens, quasi ipsa habeat esse, sed quia per eam compositum est, ita nec forma proprie fit, sed incipit esse per hoc, quod compositum sit reductum de potentia in actum, qui est forma. (Cont. Gent. loc. cit.) Confer quae ante diximus, agentes de accidentibus [527, obiect. III].

**Obiectio III.** — Deus, utpote causa universalissima, omnia operatur. Ergo vel immediate et sufficienti virtute, vel mediate tantum et insufficienti virtute. Si primum, superflua erit omnis alia efficientia. Posterius vero derogat divinae perfectioni. Ergo nulla datur activitas praeter divinam.

Respondeo. *Dist. antec.* Deus, utpote causa universalissima, omnia operatur modo convenienti causae huiusmodi, *conc.;* excludendo quaecumque aliam causalitatem sibi subordinatam, *neg. Dist. pariter consequens quoad 1. membrum.* Si sermo sit de sufficientia virtutis in ratione causae primae, *conc.;* si sermo sit de virtute sufficienti in omni genere, *subd.;* idque oritur ex indigentia aut impotentia Dei, *neg.;* et hoc habetur ex voluntaria et prudentissima applicatione virtutis suae, *conc.*

Optime in hanc rem Suarez. \* Sicut, inquit, non repugnat esse et dependenter ab alio esse, ita non repugnat agere, et dependenter ab alio agere. Cur enim? An quia repugnat, eandem actionem simul esse a pluribus causis totalibus? At hoc falsum est, si illae causae sint diversorum ordinum, et essentialiter subordinatae. Quocirca tantum abest, ut haec efficientia causarum secundarum deroget divinae efficacitati vel auctoritati, ut potius illam maxime commendat et declarat. Nam, ut D. Thomas supra argumentatur, ita communicavit Deus suam creatis rebus bonitatem, ut eis etiam dederit inclinationem et vim ad communicandum aliis id, quod de bonitate ipsius Dei participant, unicuique impertiendo iuxta capacitatem suam. Quia, ut ad hoc propositum dixit Plato in dial. de Nat. bonus est Deus, et livore non tangitur, neque ulli invidet; et ideo omnia fecit bona, sibi quae similia in appetitu se communicandi iuxta captum suum. Unde quaedam se ma-

terialiter communicant, alia formaliter; non ergo repugnat, quod etiam efficienter se communicent. (Metaph. D. 18. sect. 1. n. 9.)

Instabis. Omnis creatura a solo Deo essentialiter dependet. Atqui posita efficientia causarum secundarum, etiam una creatura essentialiter penderet ab alia.

Respondeo. *Dist. maiorem.* Si hoc dictum positive intelligitur, *neg.* Si intelligatur negative, *conc.* *Contradist. similiter minorem.*

Apposite rursus Suarez. \* Dico, committi acquivo- cationem in illa propositione: *Creatura essentialiter pendet a solo Deo.* Potest enim intelligi illa propositio positive et negative. Positive intellecta reddit hunc sensum: *Creatura essentialiter postulat pendere a solo Deo;* et hoc non est verum, in universum loquendo, licet fortasse de aliqua actione vel de aliqua re ob specialem conditionem id possit verificari, quod spectat ad speciales quaestiones de creatione, vel de gratia, etc. Negative autem intellecta sensus illius est, quod *ratio creaturae, ut sic, non postulat essentialiter dependentiam, nisi a Deo;* et hoc est verum, quia ex vi huius non excluditur, quin de facto, vel secundum aliquem modum productionis possit habere dependentiam a Deo et ab aliqua creatura ut per se constat. (loc. cit. n. 11.)

Instabis iterum. Nulla repugnantia elucet in eo, quod a solo Deo fiant omnia, quae ad praesentiam causarum creaturarum experimur. Ergo ita de facto fieri putandum est, vel saltem non constat de opposito, cum praesertim frustra fiat per plura quod per pauciora fieri potest.

Respondeo. *Dist. antec.* Si supponatur esse in creaturis motus vel vitalis, vel liber, vel peccaminosus, ut est experientia certissimum, *neg.*; si nullus daretur in creaturis motus istiusmodi, *subdist.*; nulla elucet repugnantia metaphysica, *conc.*; nulla est repugnantia physica, quae non nisi per miraculum vinci potest, *neg.* Sub data *dist. neg. absolute consequens;* eiusque confirmationem sic *dist.* Frustra fit per plura quod per pauciora fieri potest, si haec sint fini aequae accommodata, *transcat;* secus, *neqo.*

Duo sunt genera effectuum, qui activitate causarum secundarum producuntur, nimirum vitalium et non vitalium. Illi, utpote immanentes principio a quo active procedunt, non possunt sine manifesta contradictione a solo Deo proficisci, nisi quis velit cum panthesistis asserere unam eandemque esse substantiam rerum omnium. Praecipue vero id repugnat in actibus moraliter malis, ut patet. Quod spectat autem effectus non vitales, non est quidem repugnantia metaphysica, eos a solo Deo produci: repugnat tamen physice, eos minime produci a propriis eorumdem causis naturalibus, eas videlicet miraculose impediendo, quominus connaturalem suam virtutem explerent, quemadmodum *Sap. XVI.* miraculo tribuitur, quod ignis suae virtutis oblitus non laesserit iustos. Quod vero huiusmodi virtus his causis reipsa conveniat, manifestum est ex argumentis, quae supra attulimus, nec aliter certe aliqua specifica diversitas concipi posset. Quod attingit vero ad pronuntiatum, quod osiores naturae adeo frequenter abutuntur, nimirum *frustra fieri per plura quod per pauciora fieri potest,* revocare oportet in mentem, quod paulo inferius demonstrabitur, primam regulam eorum quae fiunt, desumi debere ex finali causa. Atqui causa finalis ultima totius universi est communicatio divinae bonitatis secundum illum gradum perfectionis, quem Deus ipse pro sua liberate praefinivit, ut ex theologia suppono: id autem plane exigit activitatem, quam tuemur, nedum excludit, ut satis superque ostensum est.

**Obiectio IV.** Corpora saltem non videntur esse activa. Substantia enim corporalis tenet ultimum gradum in entibus. Ergo infra eam nulla datur substantia quae possit recipere eius actionem. Atqui, excepto primo agente, causa quaelibet requirit subiectum in quod operetur.

Respondeo. *Transmisso antec., neg. conseq.* \* Tota natura corporalis, ait S. Thomas, simul accepta non habet aliquam inferiorem naturam infra se, in quam agat, sicut natura spiritualis in corporalem, et natura increata in creatam: sed tamen unum corpus est infra alterum, in quantum est in potentia ad id, quod habet aliud in actu.

(*Summa th.* 1. p. q. 115. a. 1. ad 1.) Transmisimus vero propositionem antecedentem, quia, severe loquendo, non corpus, sed eius prima materia infimum gradum tenet in entibus, cum sit ens in potentia tantum, et propter hoc ipsa secundum se minime est activa. Apposite rursus Angelicus: \* Corpus non est id, quod maxime distat a Deo: participat enim aliquid de similitudine divini esse secundum formam, quam habet: sed id quod maxime distat a Deo, est materia prima, quae nullo modo est agens, cum sit in potentia tantum. » (*loc. cit.* ad 4.)

Instabis. Agens esse debet intime praesens passo. Atqui id impossibile est in corporibus propter quantitatem, quibus subiiciuntur. Quare merito Augustinus (5. *Cir.* 9.) expresse ait: *Corporales causas non esse inter causas efficientes numerandas.*

Respondeo. *Dist. maiorem.* Quatenus unum debet esse alteri immediate vel mediate unitum secundum loci contiguitatem, *conc.*; quatenus debet esse cum eo penetrative simul in eodem loco, *subdist.*; si sermo sit de agente primo et universali, quod est Deus, cui effectus quilibet subiicitur sub ipsa ratione entis, *conc.*; si sermo sit de omni agente, *neg.* *Contradist. similiter minorem.* Ceterum haec obiecto, sicut et aliae, respiciunt non tam existentiam de qua in praesenti, sed naturam activitatis causarum secundarum, de qua plura dicenda sunt, tum in reliqua parte huius disputationis, tum in Metaphysica speciali. Ad illud vero, quod additur ex S. Augustino, respondeo tibi sermonem esse de causis efficientibus liberis, quae propterea non aguntur, sed ipsae se agunt, pro eo quod dominium habent suarum actionum in sua potestate habentes agere et non agere. Sic enim ait: \* *Corporales causae, quae magis fiunt, quam faciunt, non sunt inter causas efficientes numerandae, quoniam hoc possunt, quod ex ipsis faciunt spirituum volentes.* »

SECTIO IV.

De causalitate quae propria est causae efficientis.

622. **Notio mutationis.** — Propria causalitas causae efficientis est ipsemet actualis influxus quem ipsa, prout eiusmodi, in suum effectum exerit. Dicitur *efficientia* seu *effectio*. Eam porro, prout experientia sive interna sive externa nobis innotescit, primo perspicimus in *mutatione* seu *motu*; cuius rei gratia Aristoteles, ut ante notavimus [614, nota] causam efficientem ita definit: *Id unde primo motus.* Quid vero nomine *mutationis*, quae vere et proprie sit eiusmodi, intelligatur, perspicue declaratum habes apud Sylvestrum Mauro his verbis. \* *Mutatio stricte sumpta, prout opponitur immutabilitati, est per quam res aliter se habet intrinsece ac se habet antea.* Sicut enim eo ipso, quod aliquid non potest aliter et aliter se habere intrinsece, sed semper se habet uno modo, est omnino immutabile; sic eo ipso, quod potest intrinsece aliter et aliter se habere, est mutabile, et si de facto aliter et aliter se habet, mutatur. Dupliciter autem potest una res se aliter habere in suo esse intrinseco. Primo ita, ut amittat aliquid esse perfectivum, quod habebat antea; secundo, ut acquirat aliquid esse perfectivum, quo carebat antea. Primo modo mutatur aër; dum ex lucido fit tenebrosus; amittit enim esse perfectivum lucis: secundo modo mutatur, dum ex tenebroso fit lucidus. Deus utroque modo et omnimode est immutabilis, quia nec potest amittere ullum esse perfectivum, cum sit essentialiter totum suum esse, tota sua perfectio; nec potest acquirere ullam perfectionem, qua antea careret, cum nulla possit unquam carere. » (*Quaest. Phil.* lib. 3. q. 11.) Ex hac declaratione manifestum est, tria necessario postulari in quacumque

mutatione, nimirum *subiectum* mutationis, ac duplicem eiusdem terminum, *formam* scilicet et huius formae *privationem*. Subiectum est res quae sit in potentia, tum ad perfectionem aliquam, tum ad eius privationem; debet enim posse inveniri sub utraque. Forma est haec ipsa perfectio sive actus, secundum quem mutatio locum habet: huius autem carentia, ut quae negat formam in subiecto apto, proprie dicitur *privatio* [45]. Hi porro termini, alter vocatur *a quo*, alter vero *ad quem*. Si enim mutatio contingat propterea quod subiectum perfectionem acquirat qua ante carebat, privatio erit terminus a quo, forma contra quae acquiritur erit terminus ad quem. Opposito modo res habebit, si non acquisitione formae, sed huius amissione mutatio locum habeat, ut facile patet.

623. **Conversio eiusque elementa.** — Mutatio unius rei in aliam, proprio ac generali nomine, *conversio* nuncupatur. Tria proinde concurrere debent, quo haec notio habeatur. Requiritur imprimis duplex terminus: uterque positivus; *a quo* unus, qui desinat esse, *ad quem* alius, qui esse incipiat. Uterque dicitur *totalis*, si spectetur tota res, quae vel in quam desinit esse; *formalis* vero, si consideretur tantum id secundum quod una res desinit, alia vero incipit esse. Exemplo sit conversio panis in carnem. Panis est terminus totalis a quo, caro terminus totalis ad quem: forma vero panis et carnis constituunt terminum conversionis formalem; ille a quo, haec ad quem. Requiritur secundo, ut conversio locum habeat, connexio inter destinationem termini a quo et positionem termini ad quem. Haec porro connexio in eo cernitur, quod ille desinat ut iste subintret, e vicissim, quod in exemplo proxime allato videre poteris. Tertio denique postulatur aliquid *unum*, in quo uterque terminus conveniat, et secundum quod conversio attendatur, ne videlicet, non tam conversio, quam potius mera *successio* elucescat. Hoc in naturalibus conversionibus (1) semper est subiectum aliquid permanens:

(1) Consilio sic loquimur. In mirabili enim conversione quam

quare omnis naturalis conversio dicitur et est *transformatio*, accidentalis vel substantialis; prout fit secundum esse accidentale vel substantiale.

Ex tradita analysi patet, transformationem omnem continere duplicem mutationem, alteram corruptivam, alteram vero generativam seu productivam; atque ita veritatem habet commune pronuntiatum, quo dicitur: *Corruptio unius est generatio alterius*.

624. **Definitio motus.** — Cum saepe fiat, ut perfectio aliqua non tota simul in indivisibili instanti acquiratur vel amittatur a subiecto, sed contra paulatim et pedetentim istius potentialitas actuetur vel actuatio remittatur, propterea, ducta analogia a locali motu, subiectum non dicitur mutari, sed potius *moveri* versus acquisitionem perfectionis praedictae vel eius amissionem. Haec mutatio inchoata, sed nondum completa, vi cuius subiectum sic actuatur ut relinquatur adhuc in potentia ad ulteriorem actionem, adeoque constituitur in statu medio inter meram potentiam et actum perfectum, proprio nomine dicitur *motus*. Atque huc spectat celeberrima definitio a Philosopho tradita: *Motus est actus in potentia prius in potentia*. Apposite S. Thomas. \* Considerandum est igitur, quod aliquid est in actu tantum, aliquid vero in potentia tantum, aliquid vero medio modo se habens inter potentiam puram et actum perfectum. Quod igitur est in potentia tantum, nondum movetur; quod autem iam est in actu perfecto, non movetur, sed iam motum est. Illud igitur movetur, quod medio modo se habet inter puram potentiam et actum; quod quidem partim est in potentia, et partim in actu, ut patet in alteratione. Cum enim aqua est solum in potentia calida, nondum movetur: cum vero est iam calefacta, terminatus est motus calefactionis; cum vero iam participat aliquid de calore sed imperfecte, tunc

catholica veritas docet in sanctissimo Eucharistiae sacramento, existit vera transmutatio, quae non est transformatio. Vide sanctum Thomam (*Summa th.* 3. p. q. 75. a. 4. et 8.).

movetur ad calorem; nam quod calefit paulatim participat calorem magis ac magis, ipse igitur actus imperfectus caloris in calefactibili existens est motus; non quidem secundum id quod actu tantum est, sed secundum quod iam in actu existens, habet ordinem in ulteriorem actum: quia, si tolleretur ordo ad ulteriorem actum, ipse actus quantumcumque imperfectus esset terminus, et non motus: sicut accidit cum aliquid semiplene calefit. Ordo autem ad ulteriorem actum competit existenti in potentia ad ipsum. Et similiter, si actus imperfectus consideretur tantum ut in ordine ad ulteriorem actum, secundum quod habet rationem potentiae, non habet rationem motus, sed principii motus: potest enim incipere calefactio, sicut a frigido, ita et a tepido. Sic igitur actus imperfectus habet rationem motus, et secundum quod comparatur ad ulteriorem actum ut potentia, et secundum quod comparatur ad aliquid imperfectius ut actus. Unde neque est potentia existentis in potentia, neque est actus existentis in actu, sed est actus existentis in potentia: ut per id, quod dicitur actus, designetur ordo eius ad anteriorem potentiam; et per id, quod dicitur in potentia existentis, designetur ordo eius ad ulteriorem actum. Unde convenientissime Philosophus definit motum dicens, quod *motus est actus existentis in potentia, secundum quod huiusmodi*. (3. *Physic.* lect. 2.) Quamobrem, tametsi *mutatio et motus* pronisive plerumque usurpantur, differt inter utrumque. Nam mutatio concipitur fieri etiam in instanti indivisibili, quae propterea dicitur mutatio instantanea, in qua perinde est fieri atque factum esse: motus e converso nequit habere locum sine aliqua saltem imperceptibili successione. Praeterea mutatio, qua talis, duos terminos exquirat, *privativum* alterum, alterum vero *positivum*: contra motus non existit nisi inter duos terminos positivos, etsi unus comparatur ad alterum, sicut imperfectum ad perfectum: quae propterea ratio est quamobrem saepe motus ab Angelico vocetur *actus imperfectus*.

625. **Corollaria ducta ex superiori doctrina.** — Ex dictis nonnulla principia derivantur, quae mutationi aequae

ac motui sunt communia, et quorum veritas sola terminorum declaratione elucescit. **Omne quod quocumque modo mutatur, est aliquo modo in potentia.** — Sicut deesset subiectum proprium mutationis, ut dictum est. Et hoc est adeo verum, ut mutatio non attendatur, nisi praecise sub ea ratione, secundum quam res est in potentia. Actus enim quem habet, non tam dicitur mutari, quam mutatione amitti vel acquiri. Quare S. Thomas.\* Dicendum, aut, quod forma, quae est terminus *a quo*, non convertitur in aliam formam, sed una forma succedit alteri in subiecto. (*Summa th.* 3. p. q. 75. a. 3. ad 2.) Sic voluntas, quando ex amante evadit odio habens, non profecto amor ipse fit odium; est quippe manifesta contradictio; sed voluntas ipsa desinit quidem habere actum amoris; sed incipit habere actum odii. *motus est boni generis inordinatus in*

**II. Omne ens mutabile est verae compositioni obnoxium.** — Non enim mutatio veri nominis contingit nisi in eo quod actu et potentia constet. Apposite rursus Angelicus. "Omne, quod movetur, quantum ad aliquid manet, et quantum ad aliquid transit; sicut quod movetur de albedine in nigredinem, manet secundum substantiam; et sic in omni eo, quod movetur, attenditur aliqua compositio." (*Summa th.* 1. p. q. 9. a. 1.) In ente proinde undequaque simplici, quod nimirum nec est compositum nec pars ullius compositi, nulla proprii nominis mutatio locum habet aut habere potest. *motus est huiusmodi ordo*

**III. Omne ens mutabile est imperfectum.** — Perfectionem quippe vel non habet, vel habet quidem, sed amissibiliter. Praeterea ipsa ratio compositionis, cui ens mutabile est obnoxium, magnam continet imperfectionem, eam videlicet quae in ipsa ratione partis includitur (1).

(1) Acute et eleganter hanc rationem ita declarat S. Thomas. "Optimum est, in quo nihil est, quod careat bonitate, sicut albusimum est in quo nihil nigredinis admiscetur. Hoc autem in nullo composito est possibile. Nam bonum, quod resultat ex compositio-

IV. **Nulla mutatio positiva contingit nisi positiva actione efficiatur.** — Secus daretur effectus propria causa destitutus. Consulto autem loquuti sumus de sola positiva mutatione; si enim aliquid mutetur, non de privatione in formam, sed contra de forma in privationem, puta cum aër de lucido fit tenebrosus, patet minime tunc requiri actionem, sed sufficere si desinat actio, quae forma in subiecto conservabatur.

V. **Mutatio extrinseca non est vera mutatio rei cui tribuitur.** — Accidit enim alicui, non propterea quia mutetur ipsum, sed ob mutationem alterius, quod ad illud refertur. Ceterum ex hac ipsa ratione manifestum est, non posse contingere hoc mutationis genus, extrinsecae nimirum, nisi aliqua vera existat mutatio, non quidem in ea re, quae extrinsece mutari dicitur, sed in alia. Excipe, nisi id contingat propterea quod res aliqua, non solum secundum aliquid sui, sed secundum se totam incipiat vel desinat esse, creetur scilicet vel annihiletur. Hoc modo Deus extrinsece mutatur de non Creatore in Creatorem consequenter ad factum creationis.

626. **Quid differat inter agere, efficere, et movere.** Exposita communi ratione mutationis, quae propriam causalitatem causae efficientis nobis exhibet, prout haec experientia nobis primo imotescit, penitus nunc exquirenda venit haec ipsa causalitas, ut pateat quid proprie et in universum sit de intrinseca ratione talis conceptus. Haec porro causalitas vocari solet vel *actio*, vel *effectio*, vel *motio*. Ceterum haec nomina, tametsi promiscue plerumque usurpantur, non eadem est formalis ratio, quam significant, si presse et severe adhibeantur: *Agere* enim non allud de se significat, nisi *ipsiusmet exercitium potentiae activae* [561], adeoque denotat influxum proprium

tionem partium, per quod totum est bonum, non inest alicui partium. Unde partes non sunt bonae illa bonitate, quae est totius propria. Oportet ergo id quod est optimum, esse simplicissimum et omni compositione carere. (Og. Disp. Pot. q. 7. a. 1.)

potentiae istiusmodi in actum ab ea egredientem. Quare conceptus actionis adhuc remanet, etsi principium agens communicat rei quae ab eo procedit, sumum ipsum esse, sine ulla naturae diversitate vel distinctione. Atque ita res habet in processionibus ad intra, quas catholica fides considerat in divinis. Contra, notio *effectio*nis, ut iam inimus [607], praeter procedentiam quae est communi conceptu actionis, simul denotat insufficientiam ad existendum rei quae effici seu fieri dicitur. Quomobrem in re facta prius *secundum naturae ordinem* concipitur non esse quam esse. Prius enim unicuique inest naturaliter, quod non ex alio habet, quam quod ab alio habet. Atqui res quae fieri dicitur, ut quae sibi insufficientis est ad existendum, de se habet ut non sit; quod vero sit potius, quam non sit, hoc ei convenit ex influenza causae superioris. Non quaelibet igitur actio est effectio, sed ea dumtaxat quae res a non esse transit ad esse. Quid vero conceptus *motio*nis superaddat communi conceptui effectionis, res explicatu facilis est, si teneantur quae ante diximus. Motio enim nihil est aliud, quam *effectio quae mutationem inducit*. Est porro de ratione mutationis, ut supra dictum est, quod aliquid idem se habeat aliter nunc et prius. Supponitur igitur motioni subiectum, in quod exerceatur, quod aliter se habeat antea et postea. Quomobrem motio non est in effectione, qua res fiat secundum se tota, nullo praesupposito, ut revera contingit in creatione. Deerit etiam, si detur quidem subiectum, in quod effectio exerceatur, sed absque mutatione. Exemplo sit intelligere, prout huiusmodi. Hoc certe, tametsi spectetur in intellectu creato, non dicitur mutationem: haec enim habetur quidem in ipso primo instanti, quo aliquis e non intelligente fit actu intelligens, minime vero in instantibus sequentibus, in quibus eadem numero intellectio duraret, quaeque propterea adhuc active et effective procederet ab intellectu. Lege S. Thomam (*Summa th. 1. p. q. 41. a. 1. ad 2., q. 45. a. 2. ad 2.*).

627. **Propria ratio creationis, seu actionis creative.** Ex tradita declaratione pronum est intelligere duo, quae

ad conceptum creationis illustrandum eiusque discrimen a ceteris effectionibus aperiendum maxime deserviunt.

I. Primo itaque innotescit, quo pacto et quam recte creatio communiter definiatur, *Productio rei ex nihilo*. Egregie omnino S. Thomas. "Ad rationem creationis, ait, pertinent duo. Primum est, ut nihil praesupponat in re quae creari dicitur. Unde in hoc ab aliis mutationibus differt, quia generatio praesupponit materiam quae non generatur, sed per generationem completur in actum formae transmutata; in reliquis vero mutationibus praesupponitur subiectum, quod est ens completum. Unde causalitas generantis vel alterantis non sic se extendit ad omne illud quod in re invenitur, sed ad formam quae in actum educitur; sed causalitas creantis se extendit ad omne id quod est in re. Et ideo creatio *ex nihilo* dicitur esse, quia nihil est quod creationi praexistat quasi non creatum. Secundum est, quod in re quae creari dicitur, prius sit non esse, quam esse, non quidem prioritate temporis vel durationis, sed prioritate naturae, ita quod res creata, si sibi relinquatur, consequatur non esse, cum esse non habeat nisi ex influenza causae superioris. Prius enim unicuique inest naturaliter, quod non ex alio habet, quam quod ab alio habet. Et ex hoc differt creatio a generatione aeterna. Sic enim non potest dici, quod Filius Dei, si sibi relinquatur, non habeat esse; cum recipiat a Patre illud idem esse, quod est Patris, quod est esse aeternum non dependens ab alio. Et secundum ista duo creatio dupliciter dicitur esse *ex nihilo*: tum ita, quod creatio neget ordinem creationis importatae per hanc praepositionem *ex* ad aliquid praexistens, ut dicatur *esse ex nihilo*, quia non est ex aliquo praexistente, et hoc quantum ad primum: tum ita, quod remaneat ordo creationis ad nihil praexistens affirmatus, ut dicatur creatio esse *ex nihilo*, quia res creata naturaliter prius habet non esse, quam esse." (2. Dist. 1. q. 1. a. 2.) Hinc patet in definitione tradita nomen *productionis* se habere per modum generis, accipiendo nimirum *productionem* pro actione secundum generalem conceptum, quem num. praec. exhibuimus.

Particula vero illa *ex nihilo*, pro duplici ratione quam significat, tum declarat propriam rationem *effectionis*, quae convenit productioni creativae, tum hanc effectionem secernit a ceteris, quibus subiectum aliquid subternitur in quod exerceantur.

II. Intellegitur praeterea, quo pacto plerumque, verissime quidem, dici consuevit, creatione videlicet rem fieri *in quantum ens*, secus ac contingit in effectionibus ceteris. Id profecto minime est sic accipiendum, quasi per creationem dumtaxat aliquid reipsa efficiatur. Id quippe non est creationi proprium, sed generatim locum habet in quacunque effectione. Effectio enim qua nihil efficiatur vana est, et manifestam contradictionem in ipsis terminis involvit. Quamobrem praedictus loquendi modus idem valet atque *nullam rationem entis realis praesupponi in re quae creari dicitur*; realem dico, non prout contradistinguitur a ficto et chimaerico, sed a physico et existenti [598]. Sic porro intellecta haec locutio vera est et legitima: quandoquidem effectus sub ea ratione producitur, sub qua effectio non praesupponitur; creationi autem non praesupponitur res creanda vel aliquid eius, sed sola ipsius logica possibilitas. Contra, in omnibus aliis effectionibus, quae transmutationem aliquam adnexam habent, praesupponitur semper in subiecto, circa quod actio exerceatur, vera potentia physica evadendi (*di dicere*) id in quod per virtutem agentis transmutatur: quare per huiusmodi actionem non fit res praecise *ut sit*, sed *ut sit haec vel talis*. Ad rem iterum Divus Thomas. "Dicendum, quod antiqui philosophi paulatim et quasi pedetentim intraverunt in cognitionem veritatis. A principio enim, quasi grossiores existentes, non existimabant esse entia, nisi corpora sensibilia. Quorum qui ponebant in eis motum, non considerabant motum, nisi secundum reliqua accidentia, ut puta secundum raritatem et densitatem, per congregationem et segregationem.... Uterius vero procedentes distinxerunt per intellectum inter formam substantialem, et materiam quam ponebant increatam; et perceperunt transmutationem fieri

in corporibus secundum formas essentielles.... Et ulterius aliqui exercent se ad considerandum ens, in quantum ens; et consideraverunt causam rerum, *non solum secundum quod sunt haec vel talia, sed secundum quod sunt entia*. Hoc igitur, quod est causa rerum, in quantum sunt entia, oportet esse causam rerum, *non solum secundum quod sunt talia per formas accidentales, nec solum secundum quod sunt haec per formas substantiales, sed etiam secundum omne illud quod pertinet ad esse illorum quocumque modo.* (Summa th. 1. p. q. 44. a. 2.)

628. **Actio immanens, et transiens.** — Effectio, immo et actio quaelibet, pro diversitate terminum, quem proginat, alia *immanens*, alia *transiens* dici consuevit. Hanc divisionem sic exponit S. Thomas. "Duplex est actio. Una, quae transit in exteriorem materiam, ut calefacere et secare; alia quae manet in agente, ut intelligere, sentire, et velle. Quarum haec est differentia, quia prima actio non est perfectio agentis quod movet, sed ipsius moti; secunda autem actio est perfectio agentis. Unde, quia motus est actus mobilis, secunda actio, in quantum est actus operantis, dicitur motus eius ex hac similitudine, quod sicut motus est actus mobilis, ita huiusmodi actio est actus agentis; licet motus sit actus imperfecti, scilicet existentis in potentia, huiusmodi autem actio sit actus perfecti, id est existentis in actu, ut dicitur in 3. *De Anima.*" (Summa th. 1. p. q. 18. a. 3. ad 1.) Neque officit huic doctrinae, quod etiam in intelligendo et volendo immutemur. Ut enim paulo superius declaravimus [626], talis immutatio minime habetur praecise idcirco quia intelligimus aut volumus, sed pro eo quod ex intelligentibus aut volentibus in potentia evadimus intelligentes aut volentes in actu. Quare perfectissima actio intelligendi et volendi in Deo existit quidem, sine ulla tamen mutatione.

629. **Discrimen notandum inter utramque actionem modo declaratam.** — Ex propria ratione utriusque actionis, immanentis et transeuntis, quae assignata est, haec duo discrimina consequuntur ex mente eiusdem Angelici Doctoris. Primum in eo cernitur, quod in actione trans-

eunte intervenit actio realiter media inter agens; et subiectum in quod agit, ut inter extrema realiter diversa: quod minime requiritur in quavis actione immanente, ut patet in actu quo anima intelligit seipsam. "Actio, ait S. Thomas, quae transit in aliquid extrinsecum, est realiter media inter agens, et subiectum recipiens actionem: sed actio quae manet in agente, non est realiter medium inter agens, et obiectum, sed secundum modum significandi tantum. Realiter vero consequitur unionem obiecti cum agente. Ex hoc enim, quod intellectum fit unum cum intelligente, consequitur intelligere, quasi quidam effectus differens ab utroque." (Summa th. 1. p. q. 54. a. 1. ad 3.) Alterum discrimen positum est in diversa habitudine, qua utriusque actionis obiectum refertur ad agens. "Obiectum, ait rursus Angelicus, aliter se habet in actione quae manet in agente, et in actione quae transit in aliquid exterius, obiectum sive materia in quam transit actus, est separata ab agente, sicut calefactum a calefaciente et aedificatum ab aedificante. Sed in actione quae manet in agente, oportet ad hoc, quod procedat actio, quod obiectum uniatu agentis: sicut oportet, quod sensibile uniatu sensui ad hoc quod sentiat actu. Et ita se habet obiectum unitum potentiae ad huiusmodi actionem, sicut forma quae est principium actionis in aliis agentibus; sicut enim calor est principium formale calefactionis in igne, ita species rei visae est principium formale visionis in oculo." (Summa th. 1. p. q. 56. a. 1.) (1)

(1) Diligenter nota, actionem quandoque esse *virtualiter* transeuntem, quandoque vero *formaliter*. In utraque terminus qui ea efficitur est extra agentem: prior tamen, secundum se considerata, manet in ipso agente, cuiusmodi est actio creativa quae reipsa non differt a divina substantia; altera vero, si in se ipsa spectetur, est quidem ab agente, recipitur tamen in exteriori materia, cuiusmodi est ea quae unum idemque est reipsa cum ipso motu, ut paulo post dicemus.